

1281, novembre, 19

*Berenguer de Terrubia de Madremanya capbreva a Arnau de Ribera, cavaller de Calonge, una vinya situada a Madremanya.*

ASD núm. 254, perg. orig., 170 x 250 mm, carta partida.

Sit omnibus notum quod ego Berengarius de Terrubia de Matremagna, gratis et ex certa <sciencia> confiteor et recognosco tenere in dominium pro uobis Amaldo de Ripparia milite de Colonico, manumissoire et executore testamenti Geralde uxoris uestre olim defuncte presente et Arnaldo filio uestro herede dicte domine Geralde absente tamquam presente, quod teneo pro uobis in dominium quandam uineam cum terra in qua est et cum bosco qui ibi est, quam uineam et boscum ego habeo et teneo in parrochia Sancti Stephani de Matremagna, apud collem dez Pex, et affrontat ah oriente et a meridie in carraria, ab occidente in alia mea uinea quam teneo pro sacrista monasterii Sancti Petri de Gallicantu, a circio in honore Raimundi Carbonelli et honore Raimundi de Frigola, racione cuius uinee et boschi presto uobis et dono pro censu et in signum dominii unum par gallinarum quolibet anno tempore quod est inter festum Natalis Domini et Carnipriuum, non obstantibus aliquibus instrumentis, in quibus continetur predictam uineam et boschum esse alodium, promitens uobis per me et meos predictas gallinas uobis et uestris singulis armis prestare dicto tempore et quod contra predicta non ueniam. Et ego dictus Amaldus de Ripparia per me et meos laudo, aprobo et confirmo tibi et tuis et cui uolueris predictam uineam et boschum cum ingressibus et exitibus et melioramentis ibidem factis et faciendis, prout melius potest <lici et intelligi ad tuum tuorumque comodum, ita quod tu et tui habeatis et teneatis predictam uineam et boschum ad omnes tuas tuorumque uoluntates inde perpetuo faciendas, saluo meo iure et dicti Amaldi filii mei heredis predictae Geralde in omnibus. Et ego Arnaldus filius predicti Amaldi de Riparia laudo et aprobo et confirmo hec omnia supradicta et promito quod contra non ueniam, tactisque sacrosanctis Euangeliis per Deum sponte iuro uirtute cuius sacramenti renuncio iuri minoris etatis et beneficio in integrum restitutionis et omni alii iuri obuiam uenienti.

Actu est hoc .xm. kalendas decembris anno Domini millesinio ducentesimo octuagesimo primo.

Sig+num predicti Berengarii de Terrubia, sig+num Amaldi de Riparia, sig+num Amaldi eius filii, qui hoc firmamus et aprobamus. Testes huius rei sunt Raimundus Florencie de Episcopali et Guilielmus Bosoni de eode loco et Raimundis Terrubia, clericus de Matremagna et Bemardus de Maluer et Guilielmus, filius Amaldi de Fisco de Episcopali. Sig+num Berengarii Ferrarii, baiuli dicti Amaldi de Riparia, qui hoc firmo.

Sig(s. man. )num Petri de Colle, gerentis uices Bonanati Floris, notarii publici de Monellis pro domino rege, qui cum suprascripto in secunda linea ubi dicitur "herede dicte domine Geralde" et cum raso et rescripto in quinta linea, ubi dicitur "racione" et in .XIII. ubi dicitur "Matremagna" hoc scripsit et clausit, et cum suprascripto in eadem linea ubi dicitur "Bernardus".

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 530-532